



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VILLAVICENTIENSIS** \* NOVA CONDITUR  
PROVINCIA ECCLESIASTICA SCILICET VILLAVICENTIENSIS, QUAE SEDES AD DIGNITATEM ECCLESIAE  
METROPOLITANAE ATTOLLITUR. Ad totius dominici gregis tutelam destinati, quantum situm est in Nobis, curam  
continenter adhibemus, ut salutifera Iesu Christi beneficia quam amplissimam multitudinem attingant. Quapropter Nos  
aptare festinamus ecclesiastica instituta ut proposita haec commodius expediantur. Ideo suffragante Conferentia  
Episcoporum Columbiae ac favente item Venerabili Fratrem Beniamino Stella, Archiepiscopo titulo Midilensi et in  
Republica Columbiana Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate suffulti,  
haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Provinciam ecclesiasticam *Villavicientiensem* condimus atque sedem  
episcopalem Villavicientiensem ad dignitatem metropolitanae Ecclesiae attollimus, congruis iuribus privilegiisque additis,  
quibus ceterae metropolitanae sedes ad iuris normas fruuntur. Nova condita Provincia ecclesiastica Villavicientiensis  
complectetur Metropolitanam Sedem eiusdem nominis et dioeceses suffraganeas Sancti Iosephi a Guaviare et  
Granadiensem in Columbia, hactenus ad Provinciam ecclesiasticam Bogotensem pertinentes; Villavicientiensem  
sacrorum Antistitem pro tempore, scilicet Venerabilem Fratrem Iosephum Octavium Ruiz Arenas, ad officium  
Metropolitae novae Provinciae ecclesiasticae provehimus eidemque iura, onere et obligationes addimus. secundum  
sacrorum canonum praescripta. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella, quem supra  
memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum  
subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro  
Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio  
mensis Iulii, anno Domini bismillesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOANNES B. card. RE

*Congr. pro Episcopis Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Iosephus Conte, *Protonot. Apost. s.*

---

n.

\*A.A.S., vol. XCVI (2004), n.10, pp. 620-621 © Copyright 2004 - Libreria Editrice Vaticana

---

